DE GENETIVI GRAECI CUM SUPERLATIVO CONJUNCTI RATIONE ET USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE PHILOSOPHORUM LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

OTTO LANGLOTZ

VIMARIENSIS.

LIPSIAE,

TYPIS O. MUTZE.

DCCCLXXVI.

PATRI SANCTUM.

Syntaxeos tractandae duplex imprimis ratio discerni hodie et potest et debet, quarum altera vetus et cum ipsa syntaxis disciplina nata, altera hac demum aetate exorta est. Altera utilior est ad linguam docendam discendamque, altera ad ejus naturam originemque perspiciendam.

Etenim inveteratum illud genus qui sequitur, varias is uniuscujusque formae grammaticae (i. e. casuum, modorum, temporum) significationes et usus in tabulas refert haud neglectis discriminibus quantumvis subtilibus. Cum enim quae significationes in hac lingua una eademque forma indicantur, in illa saepe pluribus utantur, ei, qui linguam aliquam docere vult, diversae quae in eadem forma conveniunt, notiones distinguendae atque discernendae sunt.

Nec tamen quia qui huc pertinent libri ad usum maxime scholarum spectant, ea de causa ad commune judicium popularemque intelligentiam accommodatos eos voces et ab disciplinae praeceptis rationeque recedere contendas. Immo vero, dummodo qui in hac re versantur viri docti linguae naturam respiciant neve affingant quae nusquam nisi in ipsorum capitibus sint, in earum disciplinarum serie, quae materiam scientiae humanae suppositam describunt atque in ordinem certum digerunt (nostrates

dicunt descriptive Wissenschaften), non dubitabis hanc syntaxis rationem reponere.

Ab hoc genere plurimum distat alterum illud quod ex comparativa linguarum scientia effluxit. Viri enim docti huic disciplinae operam navantes, cum inde ab ineunte hoc saeculo potissimum id egerint, ut caliginem etymologiae grammaticaeque elementis antea offusam dissiparent, nostris diebus illis studiis quasi fundamentis innixi jam ad syntaxin ipsam accedunt. Quae autem via et ratio hac in re sequenda sit, Ludovicus Lange v. cl. bene disseruit coram philologis Gottingam a. 1852 congressis („über Ziel und Methode der syntaktischen Forschung“). Nec defuit ipse praeceptis quae illic dederat adhibendis observandisque in fasciculis tribus de particula *εἰ* (Der homerische Gebrauch der Partikel *EI*, Leipzig, Hirzel 1872) editis. — Deinde Delbruckius de casibus ablativo, locali, instrumentali (Berl. 1867) scripsit, qui idem vir doctus ante hos sex annos ejus libri qui inscribitur Syntaktische Forschungen (v. B. Delbrück und E. Windisch) primum volumen conjunctivi et optativi Sanscritae et Graecae linguae proprium usum continens emisit. Neque omittenda sunt, quae J. Jolly in duobus libris (Ein Capitel vergleichende Syntax. Der Conjunktiv und Optativ und die Nebensätze im Zend und Altpersischen im Vergleich mit dem Sanskrit und Griechischen. München 1872. — Geschichte des Infinitivs im Indogermanischen. München 1873) docuit.

Sed quodammodo etiam G. Curtii v. cl. libri quos inscripsit die Bildung der Tempora und Modi im Griech. u. Lat. (Berl. 1846), zur Chronol. d. indog. Sprachforschg., (Leipz. 1861), das griech. Verbum (Leipz. 1873), quamquam non tam syntaxin quam elementa indaganda sibi proposuit, huc pertinere mihi videntur. Nam, ut exemplum afferam, cum in eo libro quem postremo loco enumeravi genetivi Indogermanorum prima figuratio quae fuerit quid-

que significaverit investiget, hac quidem quaestione, quoniam eorum sententiam refutat qui contendunt omnes casus initio localem aliquam sive causalem declarasse relationem (conf. Abhandlungen der sächsischen Ges. d. Wiss. Bd. V) etiam syntaxi aliquantum eum praestitisse nemo infitietur.

Jam vero, ut a libris ad rem transeam, hi viri in universum eo tendunt, ut ex omni formae alicujus grammaticae usu primigeniam significationem eruant quoque modo ex hac secundariae fluxerint, exquirant. Ut igitur prius illud genus quae sint, describit atque definit (systematische Syntax), ita hoc, quae priora quae posteriora sint (genetische Syntax) explorare studet.

Et quisque videat has duas rationes minime sibi repugnare, potius hoc ex illo pendere. Nam ut formae cujusvis significationes aliam ex alia derivare possimus, quod hujus secundi generis est munus, omnes diversitates usus, quantulaecunque sunt, cognitas habeamus necesse est. Nec vero in nulla scientia res prius describuntur atque definiuntur, quam earum causae repetantur.

Ex altera autem parte, ne priori generi nimis videamur favere, qui in hoc versantur, aliquid rursus a syntaxi comparativa discere debent: in significationibus formarum grammaticarum proferendis et explicandis eum ordinem adhibeant quem ipsa sequitur natura.

Sed hoc est levius, utpote quod magis ad formam quam ad materiam disciplinae nostrae pertineat; majus aliquid syntaxis comparativae cum singularum linguarum syntaxi communio proficere posse mihi videtur. Nam hujus posterioris, ut supra dixi, est munus, formarum grammaticarum significationes discernere atque describere. Interdum autem, quamvis quales habeat notiones ea de qua agitur forma satis constet, ambiguum tamen est utrum ad hanc an ad illam usus aliquis certus spectet.

Atque hoc quidem eo facilius accidit in formis quae ex duabus vel compluribus in unam coaluerunt, velut dativus Graecus ex Locativo et Dativo Indogermanorum. Jam vero cum linguae cognatae ut notiones ita figurationes sejunctas inter se saepe retinuerint, harum comparatio tali controversiae lucem non afferre non poterit.

Sic, dum sermonem Graecum solum respicies, in dubio remanet, genetivus in hac lingua cum superlativo conjunctus utrum partitivae sit rationis an comparativae. Si autem linguarum cognatarum syntaxin consulimus, a Romanis Germanis Indis superlativum quidem cum genetivo, comparativum cum ablativo vel (a Germanis medii aevi) ejus vice cum dativo constructum reperimus. Igitur quoniam Graecorum genetivus ex duobus Indogermanorum casibus i. e. genetivo et ablativo coaluit, hunc casum si cum superlativo constructus tibi occurret, genetivi significationi i. e. partitivae, si cum comparativo, ablativi notioni tribues.

An, superlativi comparativique et stirpium et notionum similitudine commotus, illam sententiam praeferendam censes, Graecos hujus discriminis memoriam amisisse, simulac formae genetivi et ablativi semel confluxissent; genetivi cum superlativo conjuncti rationem cum ejus qui cum comparativo construitur, commiscuisse?

Hoc certe necesse est sibi persuadere qui Kvicalam et Kuehnerum sequuntur.

Qui viri docti, Kuehner in grammatica graeca tam diligenter accurateque scripta, Kvicala in commentatione peculiari quam de hac re in lucem edidit (Zeitschr. f. die österreich. Gymnasien 1858, p. 529 ss. „über den im Griechischen scheinbar für den Comparativ stehenden Superlativ“), rationibus ut mihi quidem videtur satis validis innixi prorsus negant, inter superlativi et comparativi cum genetivo constructionem ullum intercedere discrimen. Superlativum enim cum genetivo partitivo

illum quidem inveniri constructum sed ita tantum modo ut genetivus attributio sit superlativi. In hac autem arctiore conjunctione etiam comparativus construi potest cum partitivo genetivo.

Sed quanquam cetera omnia subtiliter perpendere, illud unum comprobare non potuere, quomodo fieri potuerit ut sermo Graecus in hac constructione a linguarum cognatarum consuetudine recederet.

Itaque mihi evenit, ut etiam reliquarum quas proferunt rationum de fide magis magisque dubitarem, denique has si refellere possem experiri mihi proponerem.

Quem finem num sim assecutus, me doctiorum in judicio sit. Illud autem constare mihi videtur, si quod volui effecerim, simul id me probasse, in iis quaestionibus et ipsis quae ad singularum linguarum syntaxin pertinent, comparativam scientiam consultricem esse non despernendam.

Jam mihi rem ita institui, ut primum quae in universum causae adversus genetivi cum superlativo conjuncti partitivam rationem proferuntur, eas infirmare susciperem; deinde ne in iis quidem locis Homericis Sophocleis Thucydideis, qui cum illorum sententia facere videntur, superlativum comparativi ratione cum genetivo conjungi quam maxime possum probabo, extremo loco exceptiones quasdam paucissimas ut in appendice tractaturus.

Atque in Homero quidem et Sophocle perlegendis summam operam impendi, ne ullus locus me subterfugeret, qui ad nostram spectaret quaestionem. Ex aliis vero auctoribus ea solum exempla attuli, quae jam ab aliis annotata inveni, ut ex Thucydide quae Poppo in prolegomenorum ad editionem suam parte II (cap. XIV ββ) affert. Nam cum per omnia litterarum Graecarum monumenta is de quo agendum erit usus occurrat, exemplorum

copiae ex quibuslibet auctoribus augendae ad nullum finem pervenissem nisi quem ipse mihi constituerem.

Satis igitur habui, si, quaecunque exempla undevis assumi possunt, eorum unumquodque una vel alia quas distinxi specie contineretur.

Tamen ne credideris ad libidinem ex quibus scriptoribus exempla conferrem, me elegisse, sed ad quaestionis naturam. Ut enim studiose Homericum illius constructionis usum investigarem, non modo Kvicalae me movit auctoritas, non solum ea ratio quaerendi quae comparativae linguarum scientiae propria est, quae ut vestigia repetantur ab origine, postulat, — sed vel maxime ipsa qua utar ad rem nostram expediendam ratio. Nam ut jam hic sententiam meam innuam, illum de quo controversia est usum magna ex parte ad simplicem et naturalem quendam orationis pleonasmum referam, qui tamen logicis normis repugnet. Ubi autem sermonem Graecum se praebere magis simplicem, ubi magis luxuriari atque minus regulis certis sive logicis sive grammaticis subjunctum esse existimas quam in carminibus quae dicuntur Homeri? — Inter Atticos vero scriptores eadem de causa poetam aliquem malui perlustrare quam prosae orationis scriptorem, quia poetae liberius et quasi naturalius lingua utuntur. Quocirca in Sophocleum, cui tragico optimo jure in scholis summa tribuatur opera, illius genetivi usum accuratius inquisivi.

Sed ad ipsam rem aggrediamur.

Primo igitur loco nobis examinandum est, quibus rationibus commoti nonnulli viri docti contendant genetivum Graecum cum superlativo conjunctum non modo in quibusdam locis sed ubicunque inveniatur (dumne sit attributio superlativi, conf. p. 9), cum eo qui comparativo obnoxius est, eandem habere rationem i. e. ablativi vice fungi, quamquam in latino et in Sanscrito (cf. Delbrück: Ablativ, Localis, Instrumentalis) comparativus quidem cum ablativo — nam quae res vel persona aliam superat, ab ea quasi separatur — superlativus vero cum genetivo conjungitur. Licet enim in tempus concedamus in certa quadam specie locorum superlativum cum genetivo comparativo esse conjunctum, tamen ut in universum partitivi constructio ab superlativo abjudicetur, rationes ex partitivi natura deductas desideramus. Jam si quae Kvicala p. 535 s. dicit: „Wir glauben behaupten zu können, dass die Annahme des genet. partit. beim superlativus gar sehr eingeschränkt werden muss, und dass man dieselbe nur da gelten lassen kann, wo der gen. partit. attributive Natur hat, wo man auch das Verhältniss umkehren, aus dem Genetiv den Nominativ machen und den Superlativ als attributives Adjektiv mit demselben in Uebereinstimmung bringen kann: So wird man also z. B. Thuc. I, 25 *χρημάτων δυνάμει ὄντες κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ὅμοια τοῖς Ἑλλήνων πλου-*

σιωτάτοις den Genetiv *Ἑλλήνων* für partitiv erklären; denn man kann sich auch folgender Construktion bedienen *ὅμοια τοῖς πλουσιωτάτοις Ἕλλησι.*“ cum iis quae p. 538 profert: „Es giebt viele Stellen, in denen die Annahme eines von dem Superlativ abhängigen partitiven Genetivs geradezu absurd wäre, wo man sich zu helfen sucht durch die Annahme, der partitive Genetiv beziehe sich nicht auf den Superlativ, sondern auf das Subjekt oder auf ein anderes Wort; so z. B. Herod. VII, 70: *οἱ ἐκ τῆς Λιβύης Αἰθίοπες οὐλότατον τρίχωμα ἔχουσι πάντων ἀνθρώπων.* Wenn man nun hier den Genetiv als partitiven von *οἱ ἐκ τῆς Λιβύης Αἰθίοπες* abhängen lässt, warum erklärt man nicht consequenter Weise auch Xen. Cyr. I, 3, 2: *Περσῶν μὲν πολὺ κάλλιστος ὁ ἐμὸς πατήρ κ. τ. λ.* den Genetiv, wenn man ihn als partitiven auffasst, für abhängig von *ὁ ἐμὸς πατήρ*? Aber ich glaube, es sei das Natürlichste anzunehmen, *πάντων ἀνθρώπων* hänge von *οὐλότατον* in derselben Weise ab, wie es vom comparat. oder von jedem beliebigen Ausdruck des Uebertreffens abhängen würde. Ebenso ist es bei Adverbien“ u. s. w., deinde quae Kuehner II. p. 335 ann. 1 probare studet: „Nur dann ist der Genetiv als partitiver aufzufassen, wenn der Superlativ die Geltung eines Substantivs hat, als P. 80 *Τρώων τὸν ἄριστον ἔπεφνεν*; wenn er aber von einem prädikativen Superlative abhängt, so ist er als komparativer aufzufassen.“ *), cum hoc loco II, p. 23, 1: „Deutlich tritt dies (dass der Genetiv beim Superlativ

---

*) Kuehner sibi ipse non consentit. Nam p. 291, 5: „Der partitive Genetiv, inquit, kann auch von einem superlativischen Adverb abhängig sein, Xen. Cyr. 3, 1, 25: *Πάντων τῶν δεινῶν ὁ φόβος μάλιστα καταπλήττει τὰς ψυχάς.* Zuweilen steht er auch vermittelst einer Kürze des Ausdrucks (?) bei einem attributiven Superlative, obwohl der Genetiv sich nicht auf den Superlativ, sondern auf das Subjekt bezieht: *οἱ ἐκ τῆς Λιβύης Αἰθίοπες κ. τ. λ.* (statt *οὐλότατον τῶν τριχωμάτων ἃ πάντες ἄνθρωποι ἔχουσι*).“

comparativer Natur ist) an solchen Stellen hervor, in denen man den angenommenen partitiven Genetiv damit erklären will, dass man sagt, er beziehe sich nicht auf den Superlativ, sondern auf das Subjekt und bei dem Superlativ eines Adverbs auch auf das Object.“ conferes, illud eos pro certo habere apparet genetivum genuinum i. e. possessivae vel partitivae significationis (hae enim vix separari possunt) apud Graecos nunquam eam enunciati partem constituere quae adverbialis definitio (adverbiale Bestimmung) appellatur. Aliter enim quis erit qui „difficultatem ita effugere studeat, ut partitivum non ad superlativum sed ad subjectum vel ad aliud aliquod nomen referat“ (Kvic. p. 538), qui non potius, ut Kvicalae exemplo utar, *πάντων ἀνθρώπων* pro definitione adverbiali accipiat praedicati *οὐλότατον τρίχωμα ἔχουσι.*

Ut autem in hanc ampliorem quaestionem intremus, num genetivus in graeco sermone adverbialis definitionis locum interdum obtineat necne, concedi necesse est exemplis quidem hoc evinci non posse, quoniam praeter illam cum superlativo constructionem, quae quidem in dubio versatur, partitivus vel possessivus hoc modo usurpatus non invenitur. Tamen ne in Graeca quidem lingua genetivum — qui casus, si quidem Curtius (zur Chronologie der indogermanischen Sprachforschung) figurationem recte interpretatur, ab origine nihil erat nisi adjectivum possessivum, quod attributive nomini alicui adjiceretur — in hoc primario et, quod non negamus, principali suo usu stetisse satis constat. Nam praedicati locum haud raro explet. Etiamsi enim in illis locis Homeri (Krüger, poet. Syntax § 47)

Il. 21, 109: *Πατρὸς δ' εἴμ' ἀγαθοῖο,* —

Il. 20, 241:

Ταύτης τοι γενεῆς τε καὶ αἵματος εὔχομαι εἶναι.

Od. 4, 611: *Αἵματος εἶς ἀγαθοῖο,* —

genetivum ad analogiam hujusce exempli

Od. 13, 130: *Φαίηκες, τοίπερ τοι ἐμῆς ἔξ εἰσι γενέθλης.* interpretandum esse i. e. ablativi vice fungi tibi probes (quanquam de genetivo genuino cogitandum esse ex altera parte, Od. 16, 300: *ἐμός ἐσσι καὶ αἵματος ἡμετέροιο* defendit), certe apud Atticos nihil usitatius inque elegantiam orationis magis receptum est; quod jam de magna quae in promptu est exemplorum copia pauca affirment. Atque possessivam notionem praebet genetivus praedicati loco adhibitus

Thuc. 4, 98, 2: *τὸν δε νόμον τοῖς Ἕλλησιν εἶναι· ὧν ἂν ᾖν τὸ κράτος τῆς γῆς ἑκάστης —, τούτων καὶ τὰ ἱερὰ ἀεὶ γίγνεσθαι.*

2, 87, 4: *τῶν πλειόνων καί ἄμεινον παρασκευασμένων τὸ κράτος ἐστί.*

Plat. Ap. 27 A.: *καί τοι τοῦτό ἐστι παίζοντος.*

Xen. an. 5, 5, 7: *Κοτύωρα ἦν Σινωπέων.*

7, 3, 19: *Ξενοφῶν πόλεως μεγίστης ἦν*,

partitivam vero hisce in exemplis:

Xen. ap. 1, 3, 9: *Οὐ σύ Κριτόβουλον ἐνόμιζες εἶναι τῶν σωφρονικῶν ἀνθρώπων μᾶλλον ἢ τῶν ἀνοήτων.*

pol. 11. 1, 1: *Ἡ Σπάρτη τῶν ὀλιγανθρωποτάτων πόλεών ἐστιν.*

Pl. Euth. 277: *Τῶν λαμβανόντων εἰσίν οἱ μανθάνοντες.*

Is. 15, 235: *Σόλων τῶν ἑπτὰ σοφιστῶν ἐκλήθη.*

Jam a praedicativo genetivi usu propius abesse mihi videtur adverbialis, quam ab attributivo praedicativus, nam et praedicatum et adverbialis definitio per se aliquam enunciati partem constituunt, attributum nil per se valet. Si igitur praedicatum saepe genetivo figuratur, quid tam mirum, si praedicati definitio (i. e. adverbialis definitio)?

Sed haec sententiam nostram probaverint magis quam demonstraverint, quae sequuntur, nullam relinquent dubitationem. Jam dudum enim te, lector benevole audio quaerentem, quonam modo uterque vir doctus intelligat genetivum Latinum cum superlativo conjunctum. Nam

in hac lingua, utpote in qua genetivus minime anceps sit neque ablativi provinciam sibi annexuerit, non datur illud refugium, genetivum, si superlativi est attributio, genuinum declarare, si autem praedicativae definitionis locum obtinet, ablativi vicarium. Immo vero superlativus Latinus nusquam nisi cum genetivo conjunctus illud quasi testari videtur etiam in germana lingua Graecorum qui cum superlativo construitur, genetivum esse genuinum.

Ex hac difficultate non ita laudabilis, ut mihi quidem videtur, illorum est receptus. Ut enim ab eo incipiam, cujus in tota nostra quaestione apertum est sententiam in alterum transisse, Kvicala p. 540 in tali enunciato ut „Indus qui est omnium fluminum maximus" genetivum „omnium fluminum" ut possessivum declarat, qui sit attributio superlativi „maximus", non quod equidem mihi persuadeo, praedicativa definitio ad „est maximus". Sed ut hoc accipias, quamquam tali modo genetivus possessivae significationis num ab partitivo disjungi ac dirimi possit valde dubito, cum possessivus genetivus, qui quidem partitivam — et hanc in illo enunciato inesse in verbis „omnium fluminum" nemo non defendat — habeat significationem, partitivus ipse esse mihi videatur, — licet, inquam, nihilosecius hoc accipias, quid valet ad tales locos ut Corn. Nep. Them. 9: „Themistocles ad te veni qui plurima mala omnium Grajorum in domum tuam intuli."? Nemo enim genetivum „omnium Grajorum" attributionis loco ad „plurima mala" referet. Et hoc opponi posse Kuehner quidem praevidit (p. 23 ann. I in fine). Tamen quomodo refellere studeat, nonnisi inter versus legi potest. Si enim, quae § 420, ann. I dicit: „die irrthümliche Ansicht (dass der Genetiv beim Superlativ ein partitiver sei) scheint ihren Grund theils auf der deutschen Sprache zu haben, indem wir z. B. *Σωκράτης πάντων Ἀθηναίων σοφώτατος ἦν* übersetzen: S. war der Weiseste unter den Athenern, theils auf der lateinischen,

die nach dem Comparative zwar den Ablativ, nach dem Superlativ aber in verschiedener Auffassungsweise den Genetiv gebraucht.", cum iis conferas quae supra citavimus: „deutlich tritt dies an solchen Stellen hervor" u. s. w., ille genetivum „omnium Grajorum" attributionem esse subjecti i. e. pronominis „qui" persuasum sibi habere videtur. Ea igitur explicatione utitur in latino genetivo cum superlativo conjuncto, quam ut in graeco vitet, eandem constructionem superlativo tribuit quam habet comparativus.

Qui autem sine praesumpta opinione rem spectet, ei omnino in mentem non veniet illud „omnium Grajorum" aliter accipi posse quam praedicativae definitionis loco.

Haec sufficiant ad rejiciendas quae contra genetivi cum superlativo conjuncti partitivam significationem proferuntur rationes; jam venimus ad eas quae pro hac ipsa significatione non tam possunt adduci quam ultro succurrunt.

Nam cum et comparativus et superlativus Graecus non solum cum genetivo sed vix rarius cum particulis constructionem ineant, harum particularum usus et notio facile reddet rationem etiam genetivi cum utroque adjectivorum gradu conjuncti potestatis. Ac primum quidem comparativum saepissime sequitur conjunctio ἤ, superlativum nunquam.*) Si autem, quod Kuehner et Kvicala contendunt, superlativus eam rem de qua ipse enunciatur, non contineret in unum quendam communem conceptum cum iis quae comparantur, sed quod de comparativo

---

*) Nam Herodateus ille quem fortasse objicis locus: 2, 35, 1: *Αἴγυπτος πλεῖστα θαυμάσια ἔχει ἢ ἄλλη πᾶσα χώρη* — ad anacoluthi figuram referendus est. Plurali enim numero verbi *χώρα* minus usitato permixtae sunt hae fere enunciati formae:

Αἴγυπτος πλεῖστα θαυμάσια ἔχει πάντων τῶν χωρῶν.
„ *πλέονα* „ „ *ἢ ἄλλη πᾶσα χώρη.*

constat, iis opponeret, intelligi non potest, qua de causa illa particula non construatur cum superlativo et ipso.

Sed clarius etiam superlativum Graecos non minus a comparativo distinuisse quam ceteras Indogermanicae stirpis gentes, elucet ex praepositionum diversitate quae in locum genetivi sive comparativo sive superlativo conjuncti interdum substituuntur.

Spectemus primum quas comparativus sibi asciscat:

Hom. Od. 7, 216:

οὐ γάρ τι στυγερῇ ἐπὶ γαστέρι κύντερον ἄλλο

(*ἐφεστάναι* = praeesse Eur. Andr. 1098).

Soph. Trach. 576 — *ὥστε μήτιν' εἰσιδὼν*
στέρξει γυναῖκα κεῖνος ἀντὶ σοῦ πλέον.

Ant. 182 s.:

καὶ μεῖζον' ὅστις ἀντὶ τῆς αὑτοῦ πάτρας
φίλον νομίζει, —

(conf. Krüger, att. Syntax § 49, 2, 7: Statt *ἤ* folgt nach dem compar. zuweilen *ἀντὶ,* die Wahl bei einer Alternative, oder *πρό,* das Vorziehen des Gegenstandes bezeichnend.)

Similes vel easdem praepositiones iis quoque locis usurpatas invenimus, qui si non comparativum ipsum, at certe notionem comparativi exhibent, velut

Soph. Aj. 444: *ἄλλος ἀντ' ἐμοῦ.*

Oed. Col. 448:

τὼ δ' ἀντὶ τοῦ φύσαντος εἱλέσθην θρόνους
καὶ σκῆπτρα κραίνειν καὶ τυραννεύειν χθονός.

Plane aliae autem praepositiones ex superlativo pendentes exstant:

Hom. Il. 1, 515: — *ὄφρ' εὖ εἰδῶ*
ὅσσον ἐγὼ μετὰ πᾶσιν ἀτιμοτάτη θεός εἰμι.

9, 54: *καὶ βουλῇ μετὰ πάντας ὁμήλικας ἔπλευ ἄριστος,* (accusativus hic quasi motum ingenii aequalium seriem percurrentis depingit).

14, 112: *γενεῆφι νεώτατός εἰμι μεθ' ὑμῖν.*

23, 476: *οὔτι νεώτατος ἐσσι μετ' Ἀργείοισι τοσσοῦτον.*

Od. 2, 454:

ἐκ πάντων δὲ μάλιστα Διὸς γλαυκώπιδι κούρῃ.

Soph. Phil. 384: *πρὸς τοῦ κακίστου κἀκ κακῶν* —.

Ad comparativum igitur eae quae comparantur res vel personae plerumque per praepositionem *ἀντὶ*, ad superlativum per *μετὰ* aut *ἐκ* referuntur i. e. illic una res alteri opponitur, ab ea separatur, hic ea res, de qua superlativus enunciatur, cum iis quae superari dicuntur, in unum quasi conceptum universalem comprehenditur, ex quo una expromatur. Hoc autem praepositionum discrimen plane congruit cum eo, quod inter ablativi atque genetivi partitivi vim intercedit. Ergo quid sermo Graecus ipse testetur de nostra quaestione, non satis circumspexisse Kuehner et Kvicala mihi videntur. Nam quod genetivi cum verbis *ἄρχειν, κρατεῖν* ceteris, quibus notio superandi inest constructi rationem non bene sejungi existimant ab ejus qui superlativo obnoxius est, qua aut observatione aut ratione innituntur? Ut enim illa verba eundem assumant genetivum quem comparativus, nonne a superlativo quidem eodem significationis intervallo distant quo ipse comparativus? Illis verbis autem, quae a superlativis derivata sunt, ut *ἀριστεύειν, κρατιστεύειν, πρωτεύειν* nihil obstat ne eandem adscribamus constructionem ac superlativo ipsi i. e. partitivi genetivi.

Sed haec hactenus. Nunc ad alteram partem propositae divisionis pergamus, quae est de eorum locorum interpretatione, in quibus genetivum cum superlativo conjunctum pro partitivo accipere plerisque absurdum videtur. Hunc usum exemplis praecipue Homericis Sophocleisque illustrabimus.

Priusquam autem in singula deinceps inquiramus, in universum aliqua sunt praemittenda quae ad difficultatem dissolvendam nos quasi instruant. Nam cum minime assentiendum mihi persuaserim inveteratae illi sententiae (quam ab G. Hermanno [ad Vig. ed. II p. 718] et Poppone [Thuc. I, p. 172 antimeria superlativi pro comparativo] receperunt Kvicala et Kuehner), superlativum cum genetivo plurali eadem ratione conjunctum inveniri qua comparativum; sed potius ad id grammaticarum observationum genus quod Franc. Vigerus idiotismos vocat, confugere malim: illud primum sine dubio necesse est perpendere atque inspicere, ad quem usque finem illa quae dicuntur idiomata in linguam se insinuaverint, ut deinde videamus, ne quod nobis probavimus hunc finem egrediatur. Jam vero G. Hermannus idiomata, quorum praecipuas species ponit pleonasmum et ellipsin, attractionem, anacoluthon, hac definitione complectitur: „idiomatum explicatio in his versatur quae usu praeter naturales lo-

quendi regulas*) introducta sint". — Sed ut definitiones omnino magis ad dilucidandam quam ad amplificandam cognitionem nostram aptae sunt, ita haec satis quidem idonea est qua quae omnium consensus elliptice — vel pleonastice etc. dicta existimat, recognoscamus, multo minus autem ut anomaliam quandam syntacticam, quae hucusque prorsus alio modo explicata sit, dijudicetur an jure idiomatis finibus adsciscamus. Immo ut hoc probemus, causae ipsae illius locutionis quod idioma vocatur quaerendum esse videtur quaenam sint, ut deinde examinetur, hae causae num etiam eum de quo controversia est usum efficere potuerint.

Hoc autem ut suscipiam „plenum opus aleae", ex grammaticorum disciplina in psychologiae confinium excursionem facere liceat.**)

Atque cum idioma in perverso quodam sibique non prorsus consentaneo enunciati connexu positus sit, in quo tamen quae insit cogitatio nemo in ambiguo versatur, id spectare nobis proponitur, quaenam inter cogitationem et quae eam declarat enunciationem in universum intercedat ratio.***)

---

*) Equidem dicere malim: praeter logicam enunciati cujusque unitatem et integritatem.

**) Totum hunc locum jam pertractaveram et ex eo, quod cogitatio ad unum spectans et vestigio temporis animo praesens verborum serie aliud aliud sequentium exprimitur, idiotismos maximeque pleonasmum deduxeram, cum vir quidam doctus mihi amicus animum meum advertit ad commentationem Steinthalii v. cl. inscriptam „Assimilation und Attraktion, psychologisch beleuchtet" (Zeitschr. f. Völkerpsych. I, p. 93). Jam cum hanc inspexissem, ambiguus eram magisne gauderem an aegre ferrem, hunc virum illustrem quamvis pro proposito suo altius in rem descenderet largiusque describeret, ab eodem explicandi principio exiisse. Iterum igitur recognitam hanc partem locis quibusdam ex illa comm. allatis ut adminiculis instruxi.

***) Per se elucet hanc rem hic adumbrari tantum et quasi attingi posse. Nolim igitur in sequentibus inscientiae meae tribui

Et cogitatio quidem, quanquam sine lingua ne cogitari quidem posse satis superque constat, non eo usque ex necessaria sua forma, linguam dico, pendet, ut quia dici non potest nisi extensione quadam temporis, ne ipsa quidem cogitatio eodem temporis momento tota animo praesens esse possit. Immo cum cogitandi actio in conjungendis notionibus positum sit, simulatque aliqua notionum consociatio semel facta est, non singula ejus membra aliud post aliud, sed omnia eodem temporis puncto animus repraesentat (conf. Steinth., p. 143 f.), quoniam minime per se, sed nonnisi ad consociationem suam cogitantur. Et profecto, si aliter res se haberet, id ipsum intelligi non posset, quomodo fieret, ut secundum rationem loquerentur homines. —

Jam illa notionum conjunctio, quam vocamus cogitationem, non aliter lingua potest effingi nisi ut singulae

---

quod ad brevitatem necessariam conferendum est. Neque enim illud ignotum habemus a Lotzio viro de psychologia optime merito evidenter esse probatum (Mikrok. cap. 1), repraesentationes proprie dici non posse obscuratas vel attenuatas, quoniam diversi vehementiae gradus quam repraesentatio quaedam in animo habeat, non ad pleniorem aut minorem conscientiae (vide infra) lucem ei superfusam referendi sint sed ad id quod aut plures aut pauciores ejus partes vel notae (Merkmale) animo praesentes sint. — Sed nostro proposito, ut cui nihil inde discriminis afferatur, aptius erat, quia brevius, hoc negligere.

Eadem de causa de repraesentatione justae enunciati formae, quam vocavimus, ita egimus, quasi non modo simplex esset, quae valde composita est, sed stabilis et eadem, quae mutabilis (nam aliae certe ejus partes in primo, aliae in postremo enunciati verbo loquentis animo praesentes sunt).

Quod ad orationem attinet, vereor ne nimis mihi ignovisse tibi videar in vocibus „repraesentatio“ et „conscientia“ utendis. Illa notionem animo non modo comprensam sed certo temporis momento praesentem (Vorstellung, sofern sie (mehr oder weniger) bewusst ist) declarare placuit, hac non solum statum ejus quod repraesentatur (quod quidem minime a sermone latino abhorret), sed etiam statum ejus qui repraesentat.

quas continet notiones proferantur serie quadam verborum aliud aliud sequentium. Cum autem non notiones, sed notionum conjunctio quaedam repraesentanda sit, is qui loquitur in unoquoque enunciati verbo conscius esse debet, hoc quomodo cum reliquis quae aut dixerit aut dicturus sit, ad cogitatum declarandum consentiat. Cogitatum enim quod unum est et simplex, qua alia conditione recognosceres multiplici verborum imagine redditum? — Et adstant loquenti ne cogitationis unitatem in verborum varietate perdat, logicorum et grammaticorum disciplinae.

Nam sicut logica ars ut sensus verborum, ita grammatica ut formae ad cogitationem effingendam inter se conveniant, sunt custodes.

Ut igitur quae dixi comprehendam et ad unam vocem reducam, duae repraesentationes loquentem per enunciationem quasi prosequuntur, una sententiae quam habeat effingendam, summam continens, altera ad justam enunciati formam attenta.

Jam psychologia docetur diversos gravitatis gradus obtinere posse quae simul in conscientia sint, repraesentationes, quoque validior sit una, eo magis attenuari reliquas. Quid igitur mirum, si repraesentatio justae enunciati formae quam vocamus, interdum obscuretur sententiae repraesentatione, quoniam haec per naturam plus habet ponderis praesertim in affectu et in hominibus minus eruditis? — Tum autem eveniet illa dictio, quod idioma supra appellavimus.

Nam ut praecipuas*) species perlustremus, anacoluthon, quod secundum Hermannum versatur „in uno eas in partes distrahendo, quarum neutra, si leges gram-

*) Illa in quattuor genera divisione multitudinem et varietatem rerum non penitus exhauriri, ipsa in hac commentatiuncula probaturum me esse spero.

maticas spectas, cum altera cohaeret", anacoluthon, inquam, tum existit si ex duabus constructionibus, quae quidem pariter ad cogitationem effingendam aptae sint, ut unam eligat et teneat, animus, cogitationis materie impletus, non satis attentus est. — Quid evenire potest, nisi ut ambae permisceantur?

De attractione neque habeo quod Steinthalii verbis addam et melius in unum me complecti posse despero quae egit quam ipse p. 171 fecit.

Transeamus igitur ad ea quae restant idiomata, ellipsin dico et pleonasmum, quae quidem commodius etiam ex nostro principio deducuntur.

Illa enim, cum sit omissio talium vocabulorum quae facile subintelligantur, non solum efficit ut quae dicuntur verba eo gravius dicantur, sed etiam simili quodam modo ipsa efficitur. Nam quo vehementius animum cogitatio incessit, eo clarius quae maxime ad eam repraesentandam spectant verborum conscientia enitebit prae iis quae nil nisi praeponderantium relationem declarant. Haec igitur ut vix in mentem venerunt, ita ut prorsus non enuncientur, fieri potest. Et hanc figuram ellipsin dicimus.

Oppositus autem et tamen et causa et effectu simillimus ellipsi est pleonasmus, qui paullo fusius hic tractandus est.

Atque ut in ellipsi minoris ponderis verba gravioribus quasi ex enunciato expelluntur, ita pleonasmus tum existit, si notionis praeponderantis repraesentatio adeo repraesentatione justae enunciati formae praevalet ut semel expressa non satietur sed iterum in reliquorum verborum conexum praeter logicam enunciationis unitatem irrumpat.

Hoc idiomatis genus notissimum est latissimeque patet, velut in cujusque linguae et cujusque aetatis litteris duas negationes nonnunquam ita adhibitas invenimus, ut inter se nontollantur sed notionem negativam augeant et cumulent.

— Tamen fortasse pleonasmi fines etiam latiore ambitu circumscribendi sunt quam adhuc solent. Nam usitatae perceptaeque ab iis qui in syntaxi graeca versantur hujus idiomatis cognitiones non paullum distant ab ea quae ex nostra deductione fluit, cum secundum illas arti rhetoricae hic locus omnino tribuatur. Ut Godofr. Bernhardy v. ill. in libro qui inscribitur Wissenschaftl. Syntax der griech. Spr. p. 44 annot. I contendit, „die griechischen Pleonasmen gehen einzig von rhetorischer Absichtlichkeit aus“. — E contrario equidem pleonasmum quamvis saepe rhetorice et consulto sit adhibitus, tamen si ejus originem respicis, in proprietates prisci atque haud politi sermonis esse reponendum persuasum habeo, quandoquidem nihil tam pro natura rudis ingenii esse videtur, quam logicam unitatem concinnitatemque negligere ad cogitationem impressius pronuntiandam.

Primariam igitur formam et quasi fontem ipsum pleonasmi in antiquissimis et ab elegantia sermonis remotis monumentis inveniemus; sive quibus talis proprietas inest, loci nondum animadversi sive per aliam quandam interpretationem accepti sunt.

Haec habui quae de idiomatibus eorumque origine praemitterem, priusquam in singula inquirerem. Jam spero fore ut ea quae de genetivo cum superlativo conjuncto supra in universum dixi, ne iis quidem locis labefieri tibi probem, quos Kuehner et Kvicala, nisi se sequaris, explicari nullo modo posse contendunt.

Atque primum quidem uterque vir doctus (conf. Kuehner II p. 22, Kvicala p. 538) eos locos adducit, in quibus ad superlativum refertur genetivus pluralis pronominis ἄλλος aut generis earum, quae comparantur, rerum nomini appositus aut, quod multo saepius invenitur, nudus: Conf. Od. 5, 105:

φησί τοι ἄνδρα παρεῖναι ὀϊζυρώτατον ἄλλων
τῶν ἀνδρῶν, οἳ ἄστυ πέρι Πριάμοιο μάχοντο.

Il. 1, 505: — ὃς ὠκυμορώτατος ἄλλων
ἔπλετ'. —

6, 295: — ἔκειτο νείατος ἄλλων.

10, 434: Θρήϊκες οἵδ' ἀπάνευθε νεήλυδες ἔσχατοι ἄλλων.

23, 532: — πανύστατος ἤλυθεν ἄλλων.

Sane ineptire videtur, qui genetivum ἄλλων in hisce locis ad partitivam notionem referat. Immo hunc genetivum ab eo, qui cum comparativo conjungitur, non esse distinguendum quisque putaverit; nisi quod superlativus eas quae in comparationem cum ipso inducantur, res vel personas inter se ipsas indicet diversos obtinere gradus.

Attamen hanc sententiam falsam esse et qui eam sequuntur logicam magis quam syntaxin spectare existimo. Nam illius pleonasmi haud rhetorici sed quasi naturalis de quo supra diximus, ipsius vocis ἄλλος apud Homerum usus exemplum clarissimum praebere mihi videtur. Quod jam paullo copiosius probandum est.

Et primum quidem discrimen faciendum videtur inter eos locos, ubi pronomen ἄλλος abundat sed non offendit, et eos ubi si pleno sensu acciperes perverse dictum esse videretur. Hic usus jam conspectus atque a viris doctis in controversiam vocatus est, ille, ut mitior, nondum animadversus.

Jam prioris generis exempla in promptu sunt haec: Il. 7, 358; 12, 232:

οἶσθα καὶ ἄλλον μῦθον ἀμείνονα τοῦδε νοῆσαι.

Od. 9, 27:

οὔτοι ἔγωγε ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι.

18, 334: μήτις τοι τάχα Ἶρου ἀμείνων ἄλλος ἀναστῇ.

8, 202 f.: — τάχα δ' ὕστερον ἄλλον
ἥσειν ἠὲ τοσοῦτον ὀΐομαι ἢ ἔτι μᾶσσον'.

Certe concedes vocem ἄλλος in omnibus his locis super-

vacuam esse. Nam res aliam superans, quod quidem comparativo indicatur, per se ab ea est diversa, est alia.

Eandem autem abundantiam praebent ea enunciata negativa, in quibus vox *ἄλλος* subjecti locum obtinet comparativo praedicatum constituente, ut

Il. 15, 569: *Ἀντίλοχ', οὔτις σεῖο νεώτερος ἄλλος Ἀχαιῶν.*

Od. 9, 427:

ὡς οὐκ αἰνότερον καὶ κύντερον ἄλλο γυναικός.

11, 623 f.: — *οὐ γάρ ἔτ' ἄλλον*

φράζετο τοῦδέ τί μοι χαλεπώτερον εἶναι ἄεθλον.

20, 201: *Ζεῦ πάτερ, οὔτις σεῖο θεῶν ὀλοώτερος ἄλλος.*

Sed ut ad alterum genus veniamus, sunt loci, in quibus vox *ἄλλος* non modo abundet, velut Il. 15, 569: *Ἀντίλοχ' οὔτις σεῖο νεώτερος ἄλλος Ἀχαιῶν,* sed eo modo dicta sit, ut si pro grammatica structura perciperetur, sensum falsum praeberet. Confer, si placet, Od. 6, 84: —

ἅμα τῇγε (Ναυσικάᾳ) καὶ ἀμφίπολοι κίον ἄλλαι.

18, 416:

μήτε τι τὸν ξεῖνον στυφελίζετε μήτε τιν' ἄλλον
τῶν δμώων. —

Ubi cum generis loco species quaedam commemoretur, quae quidem id quod antea nominatum est, non complectatur, voce *ἄλλος* ad speciei nomen pro attributione adjecta offendimur. Valde inter se discrepantes de hoc usu a viris doctis prolatae sunt sententiae.

Porsonum enim, Weiskium alios, qui vocem *ἄλλος* illic pleonastice sumi volunt (quod quidem ego non probare non possum), G. Hermannus vir ill. vehementer incusat his verbis: *) „Insani profecto fuissent Graeci, si verba orationi inseruissent nihil significantia. Tales autem ineptias imputant Graecis, qui verbum qnoddam redundare vel paene expletivi vicem obtinere sibi persuadent.“ Quasi

---

*) In censura quam de Euripidis Medea ab Elmsleio edita fecit (opusc. II, p. 184).

pleonastice dicere et nihil dicere unum idemque esset! — Haec autem opinio arcte cohaeret cum tota Hermanni ratione grammatica. Nam ut ille in libro suo qui inscribitur „de emendanda ratione grammaticae graecae“ logicorum σχήματα in linguam traduxit, ita hic valde denegat, unquam verba liberius esse conexa. Potius sibi persuadere voluit id nomen, quocum ἄλλος conjunctum sit, appositionis locum obtinere, in qua explicatione certe nemo acquiescet, etiamsi non ut Od. 6, 84:

οὐκ οἴην, ἅμα τῇγε καὶ ἀμφίπολοι κίον ἄλλαι

interdum pronomen ἄλλος nomen suum sequeretur.

Multo rectius Naegelsbachius quidem nostro usui vitii logici nomen imponit, modo ne hoc verbo explicationem simul excluderet. — Accuratius autem et haud sine elegantia ac subtilitate hanc materiem tractavit Kittlitz-Ottendorf (Philol. XIV, p. 613—624: de singulari quadam pronominis ἄλλος significatione). Qui illius usus etiam ex latino et germanico sermone exempla adducit, conferri jubet Liv. V, 39, 4: „circa moenia aliasque portas“; Goethe Rein. Fuchs VIII „Aber sie schonen uns nicht, uns andere Laien“ (sie = die Kleriker). Nec scio an huc pertineat illa Franco-Gallicorum consuetudo, qua dicunt „nous autres Français“, „vous autres Allemands“ etc.

Tamen et hic vir doctus rem minus explicat quam describit. Quod enim pronomen ἄλλος per oppositionem dictum esse contendit, nostro jure interrogamus, quo tandem hoc fiat ut ἄλλος pronominalem suam naturam abjiciens epitheti ornantis locum teneat. Nam adjectiva quidem ita, ut speciem certam generis substantivo quocum conjuncta sunt, nominati indicent, non semper dicuntur, saepe etiam qualitatem aliquam ad totum genus pertinentem declarant (velut in ἐυκνήμιδες Ἀχαιοὶ vel γάλα λευκὸν) i. e. ad orationis ornatum adjiciuntur; sed pronomina nunquam ejusmodi perhibentur, ut sensu integro

deficere possint.*) Kittl.-Ottendorfio igitur cum pronomen ἄλλος contenderet ejus generis, cujus cum nomine sit conjunctum, non modo divisionem sed cum alio genere oppositionem significare posse, si lectori aliquid probare voluit, necesse fuit demonstrare, vocem ἄλλος hac quidem ratione inter adjectiva esse numerandam. — Sic autem illa sententia fundamento eget neque ad explicationem ipsam rei quidquam affert.

Sed siquidem ea, quae huice commentatiunculae parti praemisi, assensione comprobanda sunt, hujus rei enodatio omnino non ex grammaticorum sed ex psychologorum disciplina est petenda. Concedi enim necesse est vocis ἄλλος hunc usum logicis normis repugnare. Logicae autem regulae quanquam aliae sint ac grammaticae, tamen quod illis obsistit, his comprehendi posse desperandum est.

Hoc igitur modo explico: Cum in omnibus illis locis sententia eo spectet, ut duo genera hominum rerumve inter se opponantur, ἄλλος ut vox diversitatis notione repleta per pleonasmum haud voluntarium generis alterius oppositi nomini loco attributi adjicitur, ita ut alind quid cogitetur, aliud, si grammaticam respicis constructionem, dicatur. Nam ut eo utar exemplo, quod clarissimam lucem rei afferre mihi quidem videtur, in illo versu Oed. r. 6:

ἁγὼ δικαιῶν μὴ παρ' ἀγγέλων, τέκνα,
ἄλλων ἀκούειν αὐτὸς ὧδ' ἐλήλυθα.

(Conf. Eur. Or. 521: — τί μαρτύρων
ἄλλων ἀκούειν δεῖ, μ' ἅγ' εἰσορᾶν παρά;)

Oedipus nihil minus vult quam se quacunque ratione

*) Si quidem ab illo pronominum demonstrativorum usu, quem grammatici nostrates „rein deiktisch“ (ut Cic. p. lege Man. 9: ut ex eodem Ponto Medea illa profugit) vocant, hic discedimus.

nuntium appellare, qui quidem sensus, si ad grammaticam structuram interpretareris, in illis verbis sine dubio inest, sed contra quam maxime iis opponere: *τὸ παρ' ἀγγέλων* i. e. *παρ' ἄλλων ἀκούειν* opponitur *τῷ αὐτὸν ἀκούειν.*

Jam vero, ut quae diximus, ad rem propositam adstringamus, si eodem pleonasmo illum versum Od. 5, 105:

φησί τοι ἄνδρα παρεῖναι ὀϊζυρώτατον ἄλλων
τῶν ἀνδρῶν —

dictum esse propones, *ἄλλων τῶν ἀνδρῶν* cur non sit genetivus partitivus, non intelliges. Nam ut in illo versu Sophocleo voce *ἄλλων* adjecta minime indicatur Oedipum esse *ἄγγελον*, sic hic per nostrum pronomen nemo, neque Ulixes ipse (quod ii qui genetivo comparativam significationem assignant, sibi persuadent) neque alius quisquam ex eorum numero excluditur, qui cum Ulixis miseria comparantur.

Immo haec valet explicatio: prae grammatica structura, quae quidem genetivi superlativo obnoxii notio, utpote partitivi, ut Ulixem cum iis, quibuscum rerum adversarum multitudine comparatur, in unum complectatur postulat, tantum praevaluit repraesentatio excelsitatis i. e. diversitatis Ulixeae fortunae, ut *ἄλλων* non modo abundanter, sed si verbotenus velles interpretari, perverse adjiceretur.

Quod autem genetivus *ἄλλων*, ut Il. 1, 505: *ὠκυμορώτατος ἄλλων κ. τ. λ.* saepe invenitur nudus, constructionem illam habemus paullo etiam liberiorem, quoniam sic pronominis notio magis etiam premitur, quam si cum substantivo conjunctum est. Et optime quidem ad ea quae supra de pleonasmo in universum dixi, quadrat quod ipsa haec pronominis *ἄλλων* nudi cum superlativo structura, utpote solutior etiam, nusquam invenitur nisi in antiquissimo sermonis Graeci monumento, in Iliade. — Etenim, si jure pleonasmum, haud voluntarium dico, inter sermonis prisci proprietates rettuli, is quidem summam redolet antiquitatem, qui nobis audacissimus videatur.

At dixerit quispiam, id quidem me probasse *ἄλλων* genetivum in illis locis pro partitivo haberi posse, non probasse esse partitivum. Qui enim *ἄλλων* cum pleonasmo dictum esse deneget, licere ei tenere atque defendere superlativum etiamsi apud Graecos cum genetivo partitivo conjungi in universum constet, nonnunquam tamen comparativi ratione constructum esse. Sed ex ipso Homero argumenta accersam, per quae non jam liceat dubitare. Supra demonstravi pro genetivo cum comparativo vel cum superlativo constructo haud ita raro praepositiones inveniri cum casibus, sed alias a comparativo, alias a superlativo adsumi (conf. p. 17 s.). Si igitur in nostro genere enuntiatorum pro genetivo non eas praepositiones quae comparativi sed eas quae superlativi propriae sunt, intercedere ostendam, satis clarum erit genetivum *ἄλλων* partitivae rationi esse tribuendum.

Et pro genetivo *ἄλλων* ipso quidem nusquam inveni adhibitam praepositionalem constructionem, tamen non deest ejusmodi locus qui non nimus proposito satisfaciat. Dicit enim Diomedes ceteros Archivorum principes allocutus

Il. 14, 112: — *γενεῆφι νεώτατός εἰμι μεθ' ὑμῖν*

i. e., cum praepositione *μετὰ* (conf. Romanorum inter) in ejus nominis, quocum illa conjuncta est, potestatem ea res vel persona, ad quam refertur superlativus, recipiatur, nihilominus verbo *ὑμῖν* (pro *ἡμῖν*) se ipsum ex comparatorum complexione eximit.

Diversitatis igitur repraesentatio quae est *ἐνέργεια* enunciati, in hac sententia superavit structuram grammaticam pro *ὑμῖν* verbum quod et ad Diomedem et ad quos alloquitur, pertineat, postulantem. — Et quid tam miri vel insoliti in hac re? Nonne pueruli nostrates, si magnitudine corporis inter se gloriantur, dicunt: „ich bin der grösste unter euch, von euch“ pro „von uns, unter uns?“ Quin etiam nos ipsos contenderim talem comparationem,

siquidem vulgari sermonis consuetudine utamur, eodem modo pronuntiare.

Jam nemo infitietur illam personae enallagen, quae est in Il. 14, 112: — γένεῆφι νεώτατός εἰμι μεθ' ὑμῖν ad ejusdem generis idioma referendam esse ac quod in illo loco Odysseae 5, 105: ἄνδρα παρεῖναι ὀϊζυρώτατον ἄλλων τῶν ἀνδρῶν, exhiberi studuimus probare i. e. ad diversitatis notionem ultro effictam. Nullam igitur esse causam, cur propter genetivum ἄλλων sive nudum sive ad substantivum adjectum superlativi alteram quandam constructionem ponamus, exemplo ipso confirmavimus. — Quanquam concedo loquente ipso cum aliis se comparante (ut est in γενεῆφι νεώτατός εἰμι μεθ' ὑμῖν) facilius etiam intercedere illud idioma, ut diversitas praeter logicam enunciati unitatem declaretur. Nam longiore intervallo subjectum dicendi ab objectis distat quam objecta ab objectis, ut ex eo elucet, quod nos ipsi quamvis logica arte satis exerciti illud quidem etiam hodie dicimus „ich bin der Grösste von euch“, sed minime „er ist der Grösste von den Anderen (den Anderen als er selbst)“, conf. ἔκειτο νείατος ἄλλων.

Ceterum, quod haud abs re esse videtur hic commemorare, etiam contrarium quoddam idioma invenitur, in quo, ut illic diversitas, sic ex altera parte communio loquentis atque eorum qui appellantur supra enunciati formam significata est. Confer (Il. XVIII, 297) Hectoris Trojanos a Polydamantis, qui ut in urbem redirent, suaserat, consilio coercituri verba haec:

ἀλλ' ἄγεθ', ὡς ἂν ἐγὼν εἴπω, πειθώμεθα πάντες.

Hic igitur cum pro verbi notione imperativus πείθεσθε, non adhortativus exspectetur (et Vossius noster hac de causa vertit „Auf demnach, wie ich rede das Wort, so gehorchet mir Alle“), tamen, quoniam nemo fortius admonet, quam qui idem et ipse facturus est, ea forma

adhibetur, quae ad Hectorem non minus quam ad ceteros Trojanos respiciat.

Haec dixi, ut similia vitia logica, ac quo genetivum *ἄλλων* cum superlativo conjunctum esse existimo, apud Homerum inveniri probem. Sed restat argumentum ex ipso illius genetivi usu quodam ductum. Nam adverbia *ἔξοχον, ἔξοχα,* quae quidem sine dubio eandem comparationem ac superlativus demonstrant, cum genetivo (nihil hic interest utrum partitivo an comparativo an praepositioni *ἐκ* obnoxio) apud Homerum construuntur. Atqui *ἔξοχον* semper cum *ἄλλων, ἔξοχα* cum *πάντων* conjungitur, nulla alia ut quisque videat de causa quam ut metrum servetur. Si enim diceretur *ἔξοχον πάντων,* syllaba —*ον* longa esset, si *ἔξοχα ἄλλων,* hiatus offenderet. Apparet igitur pronominis *ἄλλων* significationem ad enuntiatorum illorum sensum non desiderari i. e. haud praegnantius hanc vocem positam esse quam in pleonasmo. Sed ipse qui huc pertinent locos conferas:

Il. 9, 631: — *μὶν παρὰ νηυσὶν ἐτίομεν ἔξοχον ἄλλων.*
9, 641: — *μέμαμεν δέ τοι ἔξοχον ἄλλων*
κήδιστοι δ᾽ ἔμμεναι καὶ φίλτατοι ὅσσοι Ἀχαιοί.
13, 499: — *δύο τ᾽ ἄνδρες Ἀρήϊοι ἔξοχον ἄλλων.*
Odyss. 4, 171:
καί μιν ἔφην ἐλθόντα φιλήσεμεν ἔξοχον ἄλλων
Ἀργείων.
5, 118: *σχέτλιοι ἔστε, θεοί, ζηλήμονες ἔξοχον ἄλλων.*
6, 158: *κεῖνος δ᾽ αὖ περὶ κῆρι μακάρτατος ἔξοχον ἄλλων.*
19, 247: — *τῖεν δέ μιν ἔξοχον ἄλλων*
ὧν ἑτάρων Ὀδυσσεύς.
Il. 14, 257: — *ἐμὲ δ᾽ ἔξοχα πάντων*
ζήτει. —
24, 113: — *ἐμὲ δ᾽ ἔξοχα πάντων*
ἀθανάτων κεχολῶσθαι — .

Jam pertractata hac de voce *ἄλλων* cum superlativo conjuncta parte illud pro supervacaneo haberem tangere

hunc genetivum interdum, salva partitiva sua natura, plenam vocis *ἄλλος* praebere significationem, ut Il. 12, 103:

οἱ γὰρ οἱ εἴσαντο διακριδὸν εἶναι ἄριστοι
τῶν ἄλλων μετά γ' αὐτόν. —

Od. 11, 469, 550; 24, 17:

Αἴαντος θ' ὃς ἄριστος ἔην εἶδος τε δέμας τε
τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα.

24, 78: — *τὸν ἔξοχα τῖες ἁπάντων*
τῶν ἄλλων ἑτάρων μετὰ Πάτροκλόν γε θανόντα.

Sed Kvicala his et ipsis locis nititur velut sententiae suae documentis; quod perversum esse non necesse est probari, sed tantum dici.

Relinquitur vero alia quaedam genetivi *τῶν ἄλλων, ἄλλων* (sive nudi seu substantivo appositi) constructio, in qua plenam inesse significationem pronomini *ἄλλος* non modo concedam sed ultro defendam. Nam cum id ipsum explicationem desideraret quod illa genetivi *ἄλλων* cum superlativo consociatio apud excultioris orationis scriptores et jam apud Herodotum non invenitur,*) hoc non solum satis a me spectatum esse mihi videtur sed etiam sententiae meae aliquantum probabilitatis addere. — Jam vero in ipsa Atticorum prosa ad adjectivum sive mavis adjectivum pronominale *μόνος*, quod quidem cum partitivo genetivo conjunctum exspectas (conf. Pind. Pyth. 8, 73: *μόνος γὰρ ἐκ Δαναῶν στρατοῦ θανόντος ὀστέα λέξαις υἱοῦ*), relatum invenimus genetivum *τῶν ἄλλων*, velut Lyc. 102: *Ὁμήρου καθ' ἑκάστην πενταετηρίδα τῶν Παναθηναίων μόνου τῶν ἄλλων ποιητῶν ῥαψῳδοῦνται τὰ ἔπη.* — Sed hunc genetivum, ut Krueger quidem (att. Synt. § 47, 29, 10) vult, pro partitivo habere — et tum eundem pleonasmum hic credere debes, quo apud Homerum *ἄλλων*

*) Quanquam ceteroquin ne ab Atticorum quidem neque vorso (ut supra vidimus) nec prorso sermone pleonasticus verbi *ἄλλος* usus plane abhorret, conf. Xen. an. I, 5, 5: *οὐ γὰρ ἦν χόρτος οὐδὲ ἄλλο δένδρον.*

3

ad superlativum refertur — absonum existimaverim ab Atticae prosae consuetudine. Cum enim a latissimo illo in Homero usu superlativos cum *ἄλλων* conjungendi prorsus discesserit, qui tandem factum esse putes, ut in eo verbo, quod Homerus ipse nusquam ita constructum praebeat, in eum recideret? Immo *μόνος τῶν ἄλλων ποιητῶν* non significat *μόνος ἐκ τῶν ἄλλων ποιητῶν* (ad analogiam loci Hom. *ὀϊζυρώτατος ἄλλων τῶν ἀνδρῶν*), sed *μόνος ἀπὸ τῶν ἄλλων ποιητῶν, τῶν ἄλλων ποιητῶν* igitur ablativus est. Nam in voce *μόνος* conveniunt notiones „solus“ et „desertus“ et haec posterior ablativum postulat (conf. Soph. *κεῖται μοῦνος ἀπ' ἄλλων*). Illa verba Lycurgi vernaculo sermone igitur ita reddenda sunt: Homers Epen mit Ausschluss aller anderen Dichter wurden an den Panathenäen vorgetragen (conf. Kuehner, Synt. § 421, 4).

Venimus nunc ad alterum genus locorum a Kuehnero et Kvicala argumenti loco inductum.

Neque enim raro genetivus superlativo conjunctus eas res declarat quae eodem nomine comprensae tempore antecedunt ante eam, ad quam superlativus respicit.

Conf. Soph. Phil. 1171: *ὦ λῷστε τῶν πρὶν ἐντόπων.*

Ant. 100 ss. — *τό κάλλιστον*
ἑπταπύλῳ φανέν
Θήβᾳ, τῶν προτέρων φάος.

1212: — *ἆρα δυστυχεστάτην*
κέλευθον ἕρπω τῶν παρελθουσῶν ὁδῶν.

Thuc. I, 1: *πόλεμον τοῦτον ἐλπίσας ἀξιολογώτατον ἔσεσθαι τῶν προγεγενημένων.*

10: *τὴν στρατείαν ἐκείνην μεγίστην μὲν γενέσθαι τῶν πρὸ αὐτῆς.*

50: *ναυμαχία αὕτη Ἕλλησι πρὸς Ἕλληνας νεῶν πλήθει μεγίστη δὴ τῶν πρὸ αὐτῆς γεγένηται.*

V, 60: *στρατόπεδον γὰρ δὴ τοῦτο κάλλιστον Ἑλληνικῶν τῶν μέχρι τοῦδε ξυνῆλθε.*

VI, 13: *ὡς μέγιστον τῶν πρὶν κινδύνων ἀναῤῥιπτούσης.*

31, 1: *παρασκευὴ γὰρ αὕτη πρώτη ἐκπλεύσασα μιᾶς πόλεως δυνάμει Ἑλληνικῇ πολυτελεστάτη τε καὶ εὐπρεπεστάτη τῶν ἐς ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἐγένετο.*

Sine controversia in omnibus his exemplis, quorum numero satis multa ex aliis auctoribus adjici possunt, genetivus eam rem, quae summum gradum dicitur tenere, non complectitur. Ad eundem autem pleonasmum, quo apud Homerum *ἄλλων* perhibetur, etiam hos locos ne referamus, illud valde obstat, quod res eam quae extollitur sequentes in comparationem non vocantur (et hoc negligit Classenius cum in editione sua „*ἀξιολογώτατος τ. προγ.*“ interpretatur „*ἀξιολογώτατος πάντων καὶ ἀξιολογώτερος τῶν προγ.*“).

Tamen iis de causis si cum comparativo genetivo in illis locis superlativum esse constructum quin approbes facere non posse tibi videare, in illo certe obstupesces, quod superlativo obnoxius nusquam invenitur genetivus substantivi, cujus notione ea res, ad quam superlativus pertinet, non comprehendatur, sive ut aliis verbis utar, quod si qua res vel persona cum toto genere quodam, cujus nominis ipsa non sit, comparatur, nunquam superlativus exhibetur. Attamen, si ut Kuehner et Kvicala volunt superlativus nihil esset nisi comparativi quasi pluralis (i. e. plures et diversos inter se gradus obtinentes res cujusvis generis cum egregia quadam in comparationem induci forma ipsa indicaret), nulla ratione intellegi potest cur ex. gr. *Ἀχιλλεὺς ἄριστος τῶν Τρώων* (melior Trojanis, inter quos Hector, Aeneas, Polydamas diversos ipsi virtutis gradus obtinent) non dicatur. Nunc autem in tali enunciato ut (Od. 21, 372 s.):

αἲ γὰρ πάντων τόσσον ὅσοι κατὰ δώματ' ἔασιν
μνηστήρων χερσίν τε βίηφι τε φέρτερος εἴην

nemo superlativum desiderat (ut Kuehner quidem p. 21 supra sibi persuadet), quanquam sine dubio de diversis roboris gradibus, quibus singuli proci praediti sint, cogitatur.

Sic igitur, si logicorum disciplinam respicis, illos genetivos *προτέρων*, *παρελθουσῶν ὁδῶν* etc. partitivo generi esse tribuendos negabis, si grammaticorum, comparativos esse concedere non poteris. — Sed ipsorum nostra de genetivo *ἄλλων* superlativo conjuncto quaestio id quidem satis probaverit logicorum artem nullo modo syntaxi moderatricem esse asciscendam. Quodsi in eo, quod omnibus quos nunc tractamus locis commune est, psychologica quaedam talis verborum conexus necessitas inveniatur, quin partitivae notioni illos genetivos adscribamus, nil obstabit.

Jam vero, ut supra dixi, in unoquoque illorum locorum certa quaedam res cum prioribus ejusdem generis comparatur, velut Thuc. I, 10 Trojana expeditio cum iis quae ante eam susceptae sunt. Cum autem pro cogitationis natura superlativus, non comparativus adhibendus erat (recte enim Kvicala p. 530: der Superlativ steht da, wo die einzelnen Gegenstände gesondert aufgefasst werden und wo unter denselben selbst wieder ein Gradunterschied stattfindet), res excellens cum iis quae eam tempore antecederent, in unum nomen comprehendi debebat, cujus genetivus partitivus cum superlativo construeretur.

Sed hoc quomodo fieri potuit? Quo nomine, ut ad exemplum confugiam, bellum Peloponnesiacum (Thuc. I, 1) cum antecedentibus bellis ita complecti posse tibi videris, ut a sequentibus simul dissolvas? Certe nullo!

Quid igitur mirum, si ellipsi quadam necessaria, quae quidem non ad numerum verborum sed ad eorum vim et notionem spectet, intercedente vox *προγεγενημένων* (*πολέμων*) usurpatur pro ampliore notione et *τοὺς προγεγενημένους* et ipsum bellum Peloponnesiacum continente?

Accedit quod ille genetivi ἄλλων cum superlativo conjungendi usus Sophoclis et Thucydidis temporibus si in litteris jam intermissus, at certe quod mihi quidem videtur a sermonis consuetudine non totus erat abalienatus. Is autem usus, quanquam ad pleonasmum et abundantiam, hunc autem quem nunc tractamus, ad inopiam quandam rettuli, nonne idem vitium logicum, nonne analogiam praebebat?

His igitur demonstrasse mihi videor, ut illos genetivos προτέρων etc. partitivo generi adscribas non deesse rationem quae te commoveat. Relinquitur nunc ut quod ratione comprobavimus, evincamus exemplis.

Cum autem pro genetivo in talibus locis nusquam praepositionalem repererim constructionem usurpatam, ad linguas cognatas nobis est recurrendum.

Et nostrates quidem talem structuram ut Thuc. I, 1: πόλεμον ἀξιολογώτατον τῶν προγεγ. — hodie reddere „merkwürdiger als alle vorhergegangenen Kriege" i. e. comparativum adhibere non nego. Sed ex populi Graecis consanguinei ne dicam germani sermone, Romanorum, documentum praebetur exoptatissimum. Apud Tacitum enim, non solum dignum qui Romanorum Thucydides appelletur, sed quod pluris hic interest, Thucydidis imitatorem ejusdemmodi locum atque illos Thucydideos invenimus (hist. I, 50). De Vespasiano enim et ipso ambiguam fuisse famam professus ita pergit: „solusque omnium ante se principum Vespasianus in melius mutatus est." Genetivus igitur et ut nemo sanus infitietur, genetivus partitivus verbo „solus" obnoxius, quanquam ad Vespasianum respicit, imperatores eum antecedentes tantum declarat. — Hoc argumento addito nulla jam, ut spero, remanebit dubitatio, quin in illis locis Sophocleis Thucydideisque genetivus (τῶν προγεγενημένων etc.) sit genuinus genetivus, non comparativus i. e. ablativus.

Multo minus difficultatis tertii cujusdam generis loco inest. Dicit enim Agamemnon de Ἄτη quae ad Briseidem Achilli demendam sese irritaverit Il. 19, 95 s.

καὶ γάρ δή νύ ποτε Ζῆν' ἄσατο τόνπερ ἄριστον
ἀνδρῶν ἠδὲ θεῶν φασ' ἔμμεναι —.

Jam Kvicala (p. 538): „Kann man hier, inquit, die Genetive ἀνδρῶν ἠδὲ θεῶν als partitive auffassen? Kann man den Zeus zu den ἄνδρες rechnen, was doch offenbar geschehen müsste, wenn man den Genetiv für einen partitiven nähme?" — Sane poeta Jovem noluit hominem appellare, non magis quam Tacitus in illo loco Vespasianum iis annumerat qui ipsum Vespasianum antecessere. Sed cum deorum potentissimum eoque ipso etiam omnibus hominibus (nam Agamemnoni homini Jupiter comparatur) superiorem eum dicturus sit, per zeugma quoddam ne a nostro quidem sermone alienum deorum hominumque potentissimum vocat. Quod autem ἀνδρῶν eum genetivum, qui proprie ad superlativum refertur, θεῶν scilicet, antecedit, metri ratione habita hoc factum est.

Haec erant de genetivo plurali cum superlativo conjuncto. Sed reliqui sunt ei loci, in quibus genetivus singularis atque is haud generalis nominis ad superlativum relatus invenitur. Multo etiam minus hic usus sententiae nostrae convenire videtur. Nam non modo eandem constructionem, jam eandem paene significationem superlativum illic praebere existimaveris quam comparativum, quoniam proprios hujus fines, duarum rerum inter se collationem, sibi arrogaverit. Quin immo minus duarum! cum locis huc spectantibus genetivo pronominis reflexivi sibi ipsi quidam comparetur. At fortasse hac dictione innisus Kvicala, ut nimium, ita nihil probat. Qui p. 541: „Wenn man solche Beispiele, inquit, einander gegenüber hält, wie einerseits Plat. Lach. 182 C: πάντα

ἄνδρα ἐν πολέμῳ καὶ θαρραλεώτερον καὶ ἀνδρειότερον ἂν ποιήσειεν αὐτὸν αὑτοῦ οὐκ ὀλίγῳ αὕτη ἡ ἐπιστήμη oder Thuc. III, 11: ἄλλως τε καὶ ὅσῳ δυνατώτεροι αὐτοὶ αὑτῶν ἐγίγνοντο, (τοσούτῳ) καὶ ἡμεῖς ἐρημότεροι und andererseits Xen. mem 1, 2, 46: εἴθε σοι ὦ Περίκλεις τότε συνεγενόμην, ὅτε δεινότατος σαυτοῦ ταῦτα ἦσθα: so wird man nicht anstehen, den vom Superlativ abhängigen Genetiv für identisch mit dem vom Comparativ abhängigen zu erklären."

Sed quid, quaero, obstat quin cum comparativo conjunctum pro comparativo i. e. ablativo, cum superlativo pro partitivo hunc genetivum habeamus? Nonne sicut una aliqua res cum genere suo genetivo partitivo continetur, eodem modo illud tempus quo Pericles δεινότατος erat, cum ceteris omnibus vitae conditionibus in unam quasi summam genetivo partitivo σαυτοῦ indicatam comprendi poterat? Num Pericles tum minus Pericles erat quam ut hic status voce ipsa personae suae assumeretur? Immo vero nunquam magis erat Pericles.

Hujus igitur genetivi explicatio tota pendet ex ea quam de genetivi superlativo conjuncti ratione universa tibi probaveris sententia, nequaquam vero argumentum novum controversiae dijudicandae affert.

Ceterum non nego, judicium nostrum, si non ratione, tamen sensu quodam commotum inclinare ad Kvicalae sententiam. Sed valde cavendum est ne hoc duce fallamur et commisceamus quae distinguenda sunt.

Haec enim inclinatio ad nullam aliam causam revocanda esse mihi videtur, quam quod in tali structura ut δεινότατος σαυτοῦ de vernaculo verbo magis facete quam proprie dicto cogitamus „er übertrifft sich selbst". Nam cum in hoc proverbio vis ipsa sententiae in eo posita sit, quod quidam sibi ipsi quasi ut alienus opponitur, hunc sensum ad Graecam dictionem transferimus. — Sed in hac ut comparativus cum reflexivi pronominis

genetivo conjunctus interdum tale quid significet (quamquam in longe plurimis locis genetivus ἑαυτοῦ etc. nil declarat nisi „quam antea, quam alio tempore“) superlativus ita constructus comparationem nonnisi serio factam indicat.

Praeterea autem Herodotus, apud quem autorem hic usus crebrior est, satis multos locos exhibet, in quibus genetivum pronominis reflexivi fortasse ipse malis pro partitivo quam pro comparativo accipere, velut

II, 124: *ὕψος* (scil. *τῆς ὁδοῦ*), *τῇ ὑψηλοτάτη ἐστὶ αὐτὴ ἑαυτῆς, ὀκτὼ ὀργυιαί.*

I, 203: *εὖρος δὲ, τῇ εὐρυτάτη ἐστὶ αὐτὴ ἑαυτῆς, ὀκτὼ ἡμερέων.*

IV, 85: *τὸ δὲ εὖρος (τοῦ Πόντου), τῇ εὐρύτατος αὐτὸς ἑαυτοῦ, στάδιοι τριηκόσιοι καὶ τρισχίλιοι.*

His enim in exemplis cum rei cujusdam partes ipsam constituentes, non tempora conditionesque (ut in *ὅτε δεινότατος σαυτοῦ,* conf. Herod. I, 193. IV, 198. V, 28) in comparationem vocentur, superlativum non opponendi sed propriam suam extollendi vim habere quisque sentiet.

Absolvimus jam partitivae significationis quae genetivo graeco cum superlativo conjuncto insit, defensionem. Tamen fieri non potest, ut omnes genetivi hoc modo constructi fines partitivae rationi reddamus. Nam ne tacendo quae sententiae nostrae obstare videntur, ejus autoritatem magis minuamus quam augeamus, restant sane loci, in quibus superlativus re vera si non eodem, certe simillimo modo genetivum obnoxium habeat ac comparativus. Quanquam nimis sunt pauci quam ut aliquid contra nos probent.

Quod autem omnino, quamvis raro, usu veniat, ut genetivus eadem ratione superlativo ac comparativo construatur, non adeo mireris, si circumspicias quam arcte notiones et verba inter se cohaereant.

Nam perperam judicet L. Geiger (d. Ursprung d. Sprache, Stuttg. 1869 conf. imp. p. 84) cum vocem antecedere notionem („Primarität des Lautes vor dem Begriff") et vocum discessum praeire prae notionum distinctione („Primarität der Lautspaltung vor der Begriffsspaltung") contendit, id certe constat, notiones diversas acrius distingui solere si diversa verba iis praesto sint, quam si uno eodemque effingantur (conf. nostratium „kindlich" et „kindisch" cum Romanorum „puerilis"). Si autem ita res se habet, non minus ex altera parte concedi debet, si duo verba vel, ut in genetivo et ablativo graeco, duae formae grammaticae

in unam confluxerint, etiam earum notiones inter se quodam modo appropinquare. — Quid igitur mirum quod cum comparativi constructio ab superlativi formam quidem respicienti non possit discerni, interdum ne notione quidem potest, salvis videlicet quas attulimus pro discrimine in universum retento rationibus?

Jam vero quamvis pauci sint illi loci, diversitas quaedam inter eos intercedit. Minime enim idem esse existimo, utrum genetivus de quo agitur, numeri singularis an pluralis sit. — Hujus autem posterioris generis ex tanta ubertate literarum tantaque usus copia loci perhibentur haud plus duo.*)

Herod. III, 119, 2: *Ὦ γύναι τίνα ἔχουσα γνώμην τὸν ἄνδρα τε καὶ τὰ τέκνα ἐγκαταλιποῦσα τὸν ἀδελφεὸν εἵλευ περιεῖναί σοι· ὃς καὶ ἀλλοτριώτατός τοι τῶν παίδων καὶ ἧσσον κεχαρισμένος τοῦ ἀνδρός ἐστι.*

Xen. oecon. 21, 7: *Πρὸς ὅντινα δ'ἂν ἄρχοντα διατεθῶσιν οὕτως οἱ ἑπόμενοι, οὗτοι δὴ ἐῤῥωμένοι γε ἄρχοντες γίγνονται, οὐ μὰ Δί' οὐχ οἳ ἂν αὐτῶν ἄριστα τὸ σῶμα τῶν στρατιωτῶν ἔχωσι καὶ ἀκοντίζωσι καὶ τοξεύωσιν ἄριστα καὶ ἵππον ἄριστον ἔχοντες ὡς ἱππικώτατα καὶ πλαστικώτατα προκινδυνεύωσιν ἀλλ' οἳ ἂν δύνωνται ἐμποιῆσαι τοῖς στρατιώταις ἀκολουθητέον εἶναι καὶ διὰ πυρὸς καὶ διὰ παντὸς κινδύνου.***)

---

*) Ne in his quidem locis superlativus prorsus constat. In Xenophonteo *τῶν στρατιωτῶν* fortasse glossema est ad pronomen *αὐτῶν*, ipsum ad *ἄρχοντες* respiciens.

**) Quem fortasse tertium affers locum: A. Pers. 184 *μεγέθει τε τῶν νῦν ἐκπρεπεστάτη πολύ*, in eo genetivus (*τῶν νῦν*) non ex superlativo pendet sed ex praepositione *ἐκ* (*πρεπής*), superlativus autem absolute usurpatus est. Et aliter ne a Kvicala quidem superl. intelligi vel defendi potest, quoniam apparet illas imagines, quas Atossa in somnio videt, non cum singulis feminis nunc viventibus conferri magnitudine corporis, sed cum omnibus una. (conf. Schilleri nostri versum: Es steigt das Riesenmass der Leiber hoch über Menschliches hinaus.)

Jam cum ne regula labet quae occurrunt exceptiones necesse sit explicare quodque miri inesse videtur demere, Xenophonteum locum, qui ad hoc aptior est, propius inspiciamus.

Fac igitur fingas pro superlativo *ἄριστα* exhiberi comparativum (*αὐτῶν ἄμεινον τῶν στρατιωτῶν ἔχωσι*); statim videbis quam male tali dictione cogitatio significata futura sit. Ut enim ex toto loco apparet, vis ipsa sententiae maximam partem in eo est posita, ut de multis et paene innumerabilibus gradibus virium ac roboris, artis jaculandi etc. cogitetur, ex quorum tanta varietate imperator ipse summum habeat. Comparativus igitur, qui duos tantum gradus indicat, scriptori omnino non in mentem calamumve venit. — Ex altera autem parte, ut superlativi structurae satisfaceret, nullum ei praesto erat nomen, cujus notione et milites et ducem complecteretur. Nam vox ipsa *στρατός*, ut equidem sentiam, hoc loco id non valeret. — Huc vero accedit gravius quiddam. Repraesentatio enim distinctionis inter ducem et milites, *τὸν ἄρχοντα* et *τοὺς ἑπομένους*, intercedentis — et hac de causa pronomen *αὐτῶν* sejunctionem premens additum est ad *τῶν στρατιωτῶν* — valentior erat in animo („als schwingende Vorstellung" ut ait Steinthalius haud inepte) quam quae notionem quandam utrosque conjungentem pateretur.*) Etiamsi igitur talis significationis nomen adesset quod non adesse diximus, ejus utendi nulla erat voluntas. Nam ut superlativi notio, ita, quippe quae oppositionem praebeat, comparativi constructio sola cogitationi effingendae erat apta. — Tamen in dictionem ipsam talis inconstantia fortasse non se insinuasset, nisi

*) Contra in illis locis, ubi genetivus res declarat eam, quae superlativo extollitur, antecedentes, studium amplioris nominis aderat. Ut omittam illic (conf. *δυστυχεστάτην τῶν παρελθουσῶν ὁδῶν*) oppositionem ad attributum tantum, non ad substantivum ipsum pertinere.

formis quidem inter superlativi et comparativi constructionem nullum esset discrimen. Notionum autem inter superlativum ἄριστα et genetivum στρατιωτῶν (i. e. comparativae significationis genetivum) discrepantiae sensus multo superatur voluptate inde capta quod per se utrumque verbum quam maxime ad cogitationem quadrat.

Eadem explicatione Herodoteum locum complector, nisi quod pro Xenophontei Herodoteique sermonis diversitate in illo fortasse arti et consilio assignandum est quod in hoc naturae. —

Haec autem superlativi cum genetivo comparativo conjunctio ut omnino, quamvis raro, evenire possit, quantum opus sit repraesentationem justae enunciati formae praeponderari cogitationis impetu, hoc vel maxime ex quotidiani sermonis vernaculi consuetudine quadam elucet.

Etenim quivis homo vulgaris, si ut exemplum proferam, duos equos pulchritudinis causa conferat, nunquam dicit alterutrum anteponens: „dieses Pferd ist das schönere von den beiden“ sed „dieses Pferd ist das schönste von den beiden“ vel „dieses Pferd ist das schönste“; partitivo genetivo igitur, etiamsi eo duae tantum res declarantur, mavult superlativum quam comparativum conjungere.

Quomodo autem hoc fiat, hujus rei causa iterum ex psychologia est petenda. Ut enim paucissimis verbis rem magis adumbrem quam absolvam, superlativus semper et per naturam suam cum genetivo partitivo vel ejusdem significationis praepositione conjungitur, comparativus autem subinde tantum et per loquentis consilium; partitivi igitur genetivi notio cum superlativi notione quasi confusa et coagmentata est in mente humana, cum comparativi notione tantum non dissentiens. Ita fit ut genetivi partitivi notio facilius et commodius illam quam hanc advocet et, in quibus hominibus impetus cogitandi plus valet puritate illa quidem sed sobrietate sermonis, comparativum suo proprio loco expellat.

Jam ut redeamus unde devertimus, si notio genetivi partitivi tam arcte cum superlativo cohaeret, ut hic comparativi loco cum illo genetivo constructus inveniatur, ultro apparet illam superlativi cum genetivo comparativo structuram, quam praebent Xenophon et Herodotus semel uterque, idiotismorum provinciae adscribendam esse, condendae igitur de superlativi constructione regulae nec prodesse spectatas neque obesse neglectas.

Ceterum quisque viderit hac degressione non solum Aristarcheae illi lectioni adminiculum praeberi, sed etiam in universum partitivam genetivi superlativo conjuncti rationem denuo probari.

Sed satis. Pergamus ad singularis numeri genetivum comparativum superlativo obnoxium. — Ne hujus quidem generis plus duo exempla perhibentur, quorum alterum ne certum quidem est. Nimirum enim nihil ad nos ii loci, in quibus ex superlativo comparativus suppletur, velut Arist. de sensu c. 4: *λεπτότατον γὰρ πάντων τῶν ὑγρῶν τὸ ὕδωρ ἐστὶ καὶ αὐτοῦ ἐλαίου.*

Duo illa exempla autem sunt

Od. 11, 482: — *σεῖο δ' Ἀχιλλεῦ*
οὔτις ἀνὴρ προπάροιθε μακάρτατος οὐδ' ἄρ ὀπίσσω.

Eur. Andr. 6 s.:
νῦν δ' οὔτις ἄλλη δυστυχεστάτη γυνή
ἐμοῦ πέφυκεν ἢ γενήσεταί ποτε.

Summum gradum igitur qualitatis cum negetur cuiquam tribuendum esse nisi illic appellato hic loquenti ipsi, ad superlativum per negationem singularis genetivus refertur. Non sane secundum regulam et rationem syntacticam. Nam etsi, cogitationem spectanti, Achilles omnibus hominibus fortuna praecellere dicitur, tamen, si formam enunciati respicis, unus tantum, *οὔτις*, cum eo comparatur. Nec vero si comparativum *μακάρτερος* pro superlativo ponis, vis sententiae infirmatur; adeo non ut discipuli nostri scholis Latinis doceantur superlativum vernaculi

sermonis, si valde prematur, ita reddere ut comparativum cum negatione adhibeant. Ut est in illo Horatiano versu Sat. 1, 6, 1:

Non quia Maecenas, Lydorum quidquid Etruscos
Incoluit fines, nemo generosior est te.

Jam Kvicala de nostris exemplis p. 532: „Nun gibt es aber auch Stellen der entgegengesetzten Art, inquit, z. B. Od. 11, 481: *σεῖο δ' Ἀχιλλεῦ οὔτις ἀνὴρ προπάροιθε μακάρτατος οὐδ' ἄρ ὀπίσσω.* Die Sprache scheint, nachdem einmal solche Wendungen, wie z. B. Il. 2, 673: *Νιρεὺς ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθεν τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα* üblich geworden waren, auch die umgekehrten gebraucht zu haben. Sowie man nämlich den Satz *Σωκράτης σοφώτερος ἦν πάντων* umkehren kann in *οὐδεὶς Σωκράτους σοφώτερος ἦν,* so ist auch *οὔτις ἀνὴρ σεῖο μακάρτατος* für eine Umkehrung von *σὺ μακάρτατος εἶ πάντων* oder *σὺ μακάρτατος εἶ τῶν ἄλλων* anzusehen. Auch hier ist der Genetiv *σεῖο* ein comparativer Genetiv; der Superlativ ist aber keineswegs für eine willkürliche Verwechselung mit dem Comparativ auzusehen, sondern er hat an jener Stelle seine volle Berechtigung. Wo der Superlativ zulässig sein soll, da muss 1. eine Mehrheit von Gegenständen gegeben sein und 2. muss unter diesen Gegenständen selbst wieder ein Gradunterschied stattfinden, oder mit andern Worten: der Superlativ setzt einen Positiv und einen Comparativ voraus. Demnach ist jene Stelle zu erklären: Kein Mann ist, mag er auch glücklicher sein als andere, der glücklichste im Vergleich zu Dir.“ Sed haec explicatio mihi quidem non satisfacit et quamvis vera quaedam insint, recta esse non videtur. Nam primum illud concedi non potest, tale enunciatum ut *οὐδεὶς Σωκράτους σοφώτερος ἦν* conversionem negativam esse non posse enunciati *Σωκράτης σοφώτατος ἦν πάντων,* deinde vero illud ponitur, in quo probando versatur quodque probari non

posse nos contendimus: superlativum cum ablativo (genetivo comparativo) construi. Accedit, quod, si Kvicalae sententiam approbares, valde mirandum esset illam constructionem non saepius semel aut, si maxime ambiguam Euripidei versus lectionem accipiamus, bis inveniri. Cum igitur insolentia ipsa et raritas rei in expediendo minime sit negligenda, age jam fateamur regula quidem superlativum hoc modo constructum comprehendi non posse, in illis locutionibus esse ponendum, quos idiotismos cum Vigero vocavimus. Quoniam autem voce sola nihil explicatur, liceat si non demonstrare at quasi depingere, quomodo superlativus fieri possit ut comparativum suo loco expellat ne singulari quidem numero genetivi adjuncti deterritus.

Atque supra jam innuimus in illo enuntiato *σεῖο οὔτις μακάρτατος* negationem nil esse nisi externam quasi formam. Revera enim fortissima positio subjecta est *σὺ μακάρτατός ἐσσι.* Sed ipse vides, quanto impressius beatitudo Achillis pronuntietur ab omnibus aliis abjudicata quam si ipsi simpliciter tribueretur. Jam vero cum quasi nucleus cogitationis sit illa positio *σὺ μακάρτατός ἐσσι,* forma negativa nil nisi rhetoricum quoddam, nisi forte ab Homerica simplicitate haec vox abhorret, ornamentum, fieri non potest quin, quamvis loquens ipse ejus inscius sit, impulsus quidam adsit superlativum, ut de notione ejus cogitatur, etiam pronuntiandi. Hic impulsus sane levissimus est et facillime superabitur conscientia totius enunciati ejusque formae. Sed longum est enunciatum ut in affectu loquenti et opprimitur interdum justa enunciati forma, ut non modo compluribus exemplis jam probavimus, sed apud omnes grammaticos constat, cogitationis impetu. Omni igitur analogia sive similium exemplorum adminiculo nos carere exprobrari non potest, cum in illo loco contendimus materiam cogitationis, quae quasi condensata atque compressa inest in superlativo,

perrupisse per negativam formam, comparativum postulantem. Nec si opponas accidere illud quidem posse, ut talis perversitas aliquando ex ore elabatur, nunquam ut ab audientibus toleretur, hoc tibi concedo. Nam subvenit congruentia formarum ablativi cum comparativo, genetivi cum superlativo constructi.

Ceterum confiteor me mihi ipsum in hac conjectura justo audaciorem esse visum. Et vereatur aliquis, ne tali interpretatione omnes controversias syntacticas a ratione firmisque praeceptis transferamus ad licentiam arbitriumque idiomatum. Tamen lectio *μακάρτατος* testimonio grammaticorum (conf. schol. ad Il. 18, 3) melius confirmata est, quam ut nobis persuadeamus locum Homericum corruptum esse traditum, quod quidem de Euripideo secundum Kvicalam paene constat.

Pergamus ad finem. Nam postquam primum regulam genetivi partitivi cum superlativo conjuncti in universum firmavimus et quas rationes ad eam labefaciendam Kuehner et Kvicala magis innuunt quam inducunt, refellimus, secundo loco ne eam quidem sane satis magnam exemplorum copiam quae illi regulae dissentire videtur, si loci cujusque proprietatem penitus inspexeris, ei repugnare pro viribus probavimus. Cum tamen tres quattuorve loci ad comparativi structuram revera spectent, propter ipsam tantam paucitatem, etiamsi tritissimum illud proverbium „exceptio firmat regulam" aspernamur, pro anomalis habenda haec exempla nobis videbantur: Nec defuit idonea ratio, cur in quoque horum locorum regula neglecta sit.

Sed pertractata quam suscepimus quaestione, ut oppositam sententiam quasi ex omnibus latebris expellam, extremo loco placet de comparativo cum genetivo conjuncto nonnulla addere. Kuehner enim (II, p. 20 s.), ut superlativus cum genetivo comparativo conjunctus sit, sic ex altera parte contendit comparativum inveniri ad genetivum relatum, ubi pro vernaculo sermone (conf. p. 21, ann. 4 initio) superlativum exspectes i. e. „da, wo einem Gegenstande . . . . alle anderen derselben Klasse gegenüberstehen" (idque eo modo, ut non summa, sed

singula conferantur) ex. gr. *ἡμῶν ὁ γεραίτερος* = der Aelteste unter uns. Quod si ita esset, sane constructiones superlativi comparativique prorsus permixtas haberemus. Sed vereor ne exempla false allata sint.

Nam in eo quem primum adducit loco Il. 6, 158 s.:

— *αὐτὰρ οἱ Προῖτος κακὰ μήσατο θυμῷ*
ὅς ῥ' ἐκ δήμου ἔλασσεν, ἐπεὶ πολὺ φέρτερος ἦεν
Ἀργείων. —

genetivus *Ἀργείων* ad substantivum *δήμου* spectat, cujus ipse epexegesis est, non ad comparativum, ad quem genetivus *αὐτοῦ* (Bellerophontis) supplendus est. Quem vero deinde affert (Od. 21, 373 vide supra p. 35) Od. 7, 156:

ὃς δὴ Φαιήκων ἀνδρῶν προγενέστερος ἦεν ,

ipse recte ita vertit, ut nihil ad id, quod studet probandum praebeat. Intellexit enim comparativum hoc loco omnino comparandi vim abjecisse, pro absoluto usurpatum esse, conf. Od. 3, 362:

οἷος γὰρ μετὰ τοῖσι γεραίτερος εὔχομαι εἶναι,
οἱ δ' ἄλλοι φιλότητι νεώτεροι ἄνδρες ἕπονται.

Neque aliter accipiendus est locus Xen. Cyr. 5, 1, 6:

ἡμῶν ὁ γεραίτερος εἶπε;

nam, ut elucet ex Cyr. 1, 2, 15 (et hunc locum comparare neglexit Dindorf, qui ad 5, 1, 6 annotat „non improbabilis D scriptura *γεραίτατος*; etsi hic superlativus non est apud Xenophontem, sed est apud alios item confusus cum comparativo".) apud Persas, qui in *ἐφήβους, τελείους, γεραιτέρους* dividuntur, vox *γεραίτερος* non solum aetate provectiores, sed dignitatem quandam declarabat, eodem modo ut populus Romanus ex junioribus et senioribus constabat. *ἡμῶν ὁ γεραίτερος εἶπε* igitur valet: qui inter nos (ceteros juniores) erat senior, is feminam allocutus est.

Restant duo Theocriti loci. Quorum alter 15, 139

οὔθ' Ἕκτωρ Ἑκάβας ὁ γεραίτερος εἴκατι παίδων

nescio an similiter ac Xenophonteus intelligendus sit. In altero autem 17, 3 s.:

ἀνδρῶν δ' αὖ Πτολέμειος ἐνὶ πρώτοισι λεγέσθω
καὶ πύματος καὶ μέσσος· ὁ γὰρ προφερέστερος ἄνδρων.

tantum abest, ut comparativus superlativi ratione cum genetivo plurali conjunctus sit, ut si hoc tibi probares, valde mediocrem sententiam in ipso initio hymni Theocrito attribueres. Quae enim, qua dignus aliquis dicatur, qui inter primos homines laudetur, probatio; esse eum praestantissimum hominum? Immo locus hoc modo interpretandus atque vertendus sit:

Mit Zeus lasst uns beginnen, mit Zeus, hört auf, o Musen,
Wenn wir den Ersten der Götter im Liede verherrlichen.
Von den Menschen aber soll Ptolemäus Anfang
Mitte und Ende unseres Preises sein. Denn er ist besser
als Menschen.

Sic igitur cum Ptolemaei virtus quasi humanum modum transire dicatur, habemus sententiam haud magis ab Alexandrinorum adulatione quam ab ingenio poetae alienam.

Sed ut haec duorum Theocriteorum locorum interpretatio rei non consentiat, certe concedes, etiamsi Alexandrini sermonis consuetudo permutationem quandam comparativi et superlativi exhibeat,*) nihil inde probari de Xenophonte vel etiam Homero ipso. Nam proprium est cadentis linguae et ab antiqua puritate recedentis formarum cognatarum officia permiscere, cujus rei satis aptum exemplum praebet conjunctivi et optativi modorum apud posteriores permutatio.

*) Et sane hic locus 12, 32

ὅς δέ κε προςμάξῃ γλυκερώτερα χείλεσι χείλη
βριθόμενος στεφάνοισιν ἑὴν ἐς μητέρ' ἀπῆλθεν.

nonnisi ita accipi posse videtur.

VITA.

Natus sum Otto Langlotz pridie Cal. Octobres anno h. s. LI Vimariae patre Christiano Langlotz, nunc aerarii magni parvulae illius reipublicae custode, matre Bertha de gente Dosse, quam vixdum ad puerilem disciplinam scholae publicae traditus morte amisi. Etiam novercam, quam, ut familiae praeesset, aliquot annis post pater in matrimonium duxit, pestilentia auctumno anni LXVI nobis uno eodemque internundino cum avia eripuit.

Litterarum principiis in gymnasio patriae meae imbutus maturitatis testimonio vere anni LXX accepto inter cives academiae Jenae receptus sum, ubi Nipperdeyi, nuper mortui, Mauricii Schmidtii, Bursiani, Fortlagii, Kunonis Fischeri lectiones audivi perque tria semestria seminarii philologici sodalis eram ordinarius. Deinde cum vere anni LXXII Lipsiam transmigrassem, Ritschelii, Curtii, Langi, Voigti, Zarnckii, Hildebrandi, Heinzii scholis interfui, cujus praeterea societati philosophicae per duo semestria interfui. Frequentavi etiam Curtianae societatis exercitationes grammaticas et Theodiscae Hildebrandi societatis conventus.

His viris omnibus, quorum doctrina et humanitate institutus sum, gratias ago quam maximas.